

quæ sine dubio frangentur in fine. Non vis ut ille tunc frangat, tu hodie frange. Audisti enim supra; noli contemnerere: « Dixi iniquis: Nolite inique agere; et delinquentibus, Nolite exaltare cornu. » Quando audisti, « Nolite exaltare cornu, » contempsisti et exaltasti cornu: venies ad finem, ubi fiet, « Omnia cornua peccatorum » confringam, et exaltabuntur cornua justi. » Cornua peccatorum, dignitates superbiorum: cornua justi, munera Christi. Per cornua enim sublimitates intelliguntur. Oderis in terra sublimitatem terrenam, ut possis habere coelestem. Amas terrenam, non te admittit ad coelestem: et ad confusionem pertinebit quod frangitur tibi cornu, quomodo ad gloriam pertinebit, si exaltatur tibi cornu. Modo ergo est tempus eligendi, tunc non erit. Non es dicturus: Dimittar et eligam. Præcesserunt enim voces, « Dixi iniquis. » Si non dixi, para excusationem, para defensionem: si autem dixi, præoccupa confessionem, ne venias ad damnationem; quia tunc confessio sera erit, et defensio nulla erit.

ENARRATIO

IN PSALMUM LXXV.

Sermo ad plebem¹.

I. SOLENT inimici Domini Jesu Christi omnibus noti Judæi gloriari in isto Psalmo, quem cantavimus, dicentes: « Notus in Judæa Deus; in Israël magnum nomen

¹ In isto Sermonem ad plebem, disputat Augustinus contra Donatistas, et tractat de votis.

» ejus¹: » et insultare Gentibus, quibus non est notus Deus, et dicere quia sibi solis notus est Deus; quando Propheta dicit: « Notus in Judæa Deus: » alibi ergo ignotus. Notus est autem revera in Judæa Deus, si intelligant quid sit Judæa. Nam vere non est notus Deus, nisi in Judæa. Ecce et nos hoc dicimus, quia nisi quisque fuerit in Judæa, notus ei Deus esse non potest. Sed quid dicit Apostolus? « Qui in occulto Judæus est; qui circumcissione » cordis, non littera, sed spiritu². » Sunt ergo Judæi in circumcissione carnis, et sunt Judæi in circumcissione carnis, et sunt Judæi in circumcissione cordis. Patres nostri multi sancti, et circumcissionem carnis habebant propter signaculum fidei, et circumcissionem cordis, propter ipsam fidem. Ab his patribus degenerantes isti, qui modo in nomine gloriantur, et facta perdiderunt; ab his ergo patribus degenerantes, remanserunt in carne Judæi, in corde Pagani. Ipsi enim Judæi, qui sunt ex Abraham, a quo Isaac natus est, et ex illo Jacob, et ex Jacob duodecim Patriarchæ, et ex duodecim Patriarchis populus universus Judæorum. Sed Judæi propterea maxime appellati sunt, quia Judas unus erat de filiis duodecim Jacob, Patriarcha inter duodecim, et de stirpe ejus regnum veniebat Judæis. Nam omnis ille populus secundum numerum duodecim filiorum Jacob, duodecim tribus habebat. Tribus dicuntur tanquam curiæ et congregationes distinctæ populorum. Habebat ergo ille populus duodecim tribus, e quibus duodecim tribubus una tribus erat Juda, ex qua erant reges; et erat altera tribus Levi, ex qua erant sacerdotes. Sed quia sacerdotibus templo servientibus terra divisa non est³, oportebat autem ut duodecim tribubus dispertiretur omnis regio promissionis: excepta ergo una tribu majoris dignitatis, tribu Levi, quæ erat

¹ Psal. LXXV, 2. — ² Rom. 11, 29. — ³ Num. XVIII, 20. —

in sacerdotibus, remanerent undecim, nisi per adoptionem duorum filiorum Joseph duodecim complerentur. Hoc quid sit, advertite. Unus de duodecim filiis Jacob erat Joseph. Iste est Joseph, quem fratres sui in Ægyptum vendiderunt, et illic merito castitatis ad sublimem dignitatem perductus est, et affuit illi Deus in omni opere suo; et suscepit fratres suos, a quibus venditus erat, et patrem, fame laborantes, et propter panem ad Ægyptum descendentes. Iste Joseph duos filios habuit, Ephraïm et Manasse. Moriens Jacob, tanquam testamento assumpsit illos nepotes suos in numerum filiorum, et dixit filio suo Joseph: « Cæteri qui nascuntur, tibi erunt; isti autem mihi, » et dividunt terram cum fratribus suis¹. » Adhuc non erat data, nec divisa terra promissionis; sed dicebat ille in Spiritu prophetans. Accedentibus ergo duobus filiis Joseph, factæ sunt nihilominus duodecim tribus, quia jam tredecim sunt. Pro una enim tribu Joseph, duæ accesserunt, et factæ sunt tredecim. Excepta ergo tribu Levi, illa tribu sacerdotum quæ serviebat templo, et de decimis vivebat cæterarum omnium, quibus terra divisa est, remanent duodecim. In his duodecim erat tribus Juda, unde reges erant. Nam primo de alia tribu datus est rex Saül², et reprobatus est tanquam malus rex; postea datus est de tribu Juda rex David, et ex illo de tribu Juda fuerunt reges³. Jacob autem ille hoc dixerat, quando benedixerat filios suos: « Non » deficiet princeps de Juda, nec dux de femoribus ejus, » donec veniat cui repromissum est⁴. » De tribu autem Juda venit Dominus noster Jesus Christus. Est enim, sicut Scriptura dicit, et modo audistis, ex semine David⁵, natus de Maria. Cæterum quod attinet ad Divinitatem Domini nostri Jesu Christi, in qua æqualis est Patri, non solum

¹ Gen. XLVII, 5, 6. — ² 1 Reg. IX, 1. — ³ Id. XVI, 12. — ⁴ Gen. XLIX, 10. — ⁵ 2 Tim. II, 8.

ante Judæos, sed etiam ante ipsum Abraham¹; nec solum ante Abraham, sed et ante Adam; nec solum ante Adam, sed et ante cælum et terram et ante sæcula: « Quia » omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est » nihil². » Quia ergo in prophetia dictum est: « Non » deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, » donec veniat cui repromissum est: » considerantur priora tempora, et invenitur quia Judæi de tribu Juda semper reges habuerunt, unde dicti sunt Judæi: et non habuerunt regem prius alienigenam, nisi Herodem illum, qui fuit quando Dominus natus est³. Inde cœperunt reges alienigenæ, ab Herode. Ante Herodem omnes de tribu Juda, sed donec veniret cui repromissum est. Itaque ipso jam veniente Domino, eversum est regnum Judæorum, et sublatum est ex Judæis. Modo non habent regnum, quia nolunt cognoscere verum regem. Videte jam si Judæi sint appellandi. Jam videtis quia Judæi non sunt appellandi. Ipsi voce sua abdicaverunt se ab isto nomine, ut Judæi non sint digni appellari, nisi tantum carne. Ubi ergo se separaverunt ab isto nomine? Dicebant, sæviebant in Christum, id est, genus Juda, sæviebant in semen David. Et ait illis Pilatus: « Regem vestrum crucifigam? » Et illi: « Nos non habemus regem, nisi Cæsarem⁴. » O Judæi qui vocamini, et non estis, si non habetis regem, nisi Cæsarem, defecit jam princeps de Juda: venit ergo ille cui repromissum est. Illi ergo verius Judæi, qui Christiani facti sunt ex Judæis: cæteri Judæi qui in Christum non crediderunt, etiam nomen ipsum perdere digni fuerunt. Judæa ergo vera, Christi Ecclesia est, credens in illum regem, qui venit ex tribu Juda per virginem Mariam; credens in illum de quo modo Apostolus dicebat,

¹ Joan. VIII, 58. — ² Joan. I, 3. — ³ Luc. III, 1. — ⁴ Joan. XIX, 15.

ad Timotheum scribens : « Memor esto Jesum Christum » resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum » Evangelium meum¹. » De Juda enim David, et ex David Dominus Jesus Christus. Nos credentes in Christum pertinemus ad Judam : et nos cognovimus Christum ; qui oculis non vidimus, fide retinemus. Non ergo insultent Judæi, qui jam non sunt Judæi. Ipsi dixerunt : « Nos non » habemus regem, nisi Cæsarem. » Nam melius illis erat, ut rex illorum esset Christus, ex semine David de tribu Juda. Tamen quia ipse Christus ex semine David secundum carnem, Deus autem super omnia benedictus in sæcula, ipse rex noster est et Deus noster ; rex noster, secundum quod natus est ex tribu Juda secundum carnem, Christus Dominus Salvator ; Deus autem noster, qui est ante Judam, et ante cælum et terram, per quem facta sunt omnia, et spiritalia et corporalia. Si enim « Omnia » per ipsum facta sunt ; » et ipsa Maria de qua natus est, per ipsum facta est. Quomodo ergo ille quasi cæteri homines nasceretur, qui sibi fecit matrem de qua nasceretur ? Ergo ipse Dominus : Apostolo dicente, cum loqueretur de Judæis : « Quorum patres, et ex quibus est Christus » secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula². » Quia ergo Judæi viderunt Christum, et crucifixerunt, non viderunt Deum : Gentes autem quia non viderunt, et crediderunt, intellexerunt Deum. Ergo si innotuit eis Deus in Christo mundum reconcilians sibi³, et ideo illi crucifixerunt, quia in carne latentem Deum non intellexerunt, recedat illa quæ vocatur Judæa, et non est ; accedat vera Judæa, cui dicitur : « Accedite ad » eum, et illuminamini, et vultus vestri non erubescunt⁴. » Vultus veræ Judææ non confundentur. Etenim audie-

¹ 2 Tim. II, 8. — ² Rom. IX, 5. — ³ 2 Cor. V, 19. — ⁴ Psal. XXXIII, 5.

runt, et crediderunt : et facta est Ecclesia vera Judæa, ubi notus Christus, qui homo est ex semine David, Deus super David.

II. « Notus in Judæa Deus ; in Israël magnum nomen » ejus. » Et de Israël sic debemus accipere, quomodo de Judæa : quomodo illi non sunt veri Judæi, sic nec verus Israël. Quis enim dicitur Israël ? Videns Deum. Et quomodo illi viderunt Deum, inter quos ambulavit in carne ; et cum putarent hominem, occiderunt ? Resurgens ille apparuit Deus omnibus, quibus se voluit demonstrare. Illi ergo digni sunt Israël dici, qui meruerunt Christum intelligere Deum in carne positum, ut non quod videbant, contemnerent ; sed quod non videbant, adorarent. Non visum enim oculis Gentes humili mente perceperunt illum quem non videbant, et fide tenuerunt. Proinde illi qui manibus tenuerunt, occiderunt ; qui fide tenerunt, adoraverunt. « In Israël magnum nomen ejus. » Vis esse Israël ? Illum attende, de quo Dominus ait : « Ecce vere » Israëlita, in quo dolus non est¹. » Si verus « Israëlita, in » quo dolus non est, » dolosi et mendaces non sunt veri Israëlitæ. Non ergo dicant isti quoniam apud illos est Deus, et magnum nomen ejus in Israël. Probest se Israëlitas, et concedo ego quia « In Israël magnum nomen » ejus. »

III. « Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus » in Sion². » Rursus Sion quasi patria est Judæorum : vera Sion, Ecclesia est Christianorum. Interpretatio autem nominum hebræorum sic nobis traditur : Judæa Confessio interpretatur ; Israël Videns Deum. Post Judæam Israël : sic hic positum est : « Notus in Judæa Deus ; in » Israël magnum nomen ejus. » Deum vis videre ? Prius confitere tu, et sic in te ipso fit locus Dei ; quia « Factus est

¹ Joan. I, 47. — ² Psal. LXXV, 3.

» in pace locus ejus. » Quandiu ergo non confiteris peccata tua, quodam modo rixaris cum Deo. Quomodo enim non cum illo litigas, qui quod illi displicet laudas? Punit ille furem, tu furtum laudas : punit ille ebriosum, tu laudas ebriositatem. Litigas cum Deo, non fecisti illi locum in corde tuo : « Quia in pace locus ejus. » Et quomodo incipis pacem habere cum Deo? Incipis illi in confessione. Psalmi vox est dicentis : « Incipite Domino in confessione¹. » Quid est, « Incipite Domino in confessione? » Incipite adjungi Deo. Quomodo? Ut hoc vobis displiceat, quod et illi displicet. Displicet illi vita tua mala : si placeat tibi, disjungeris ab illo; si displiceat tibi, per confessionem illi conjungeris. Vide ex quanta parte dissimilis es, quando utique propter ipsam dissimilitudinem displices. Factus enim es, o homo, ad imaginem Dei; per vitam vero perversam et malam perturbasti in te, et exterminasti in te imaginem Conditoris tui. Factus dissimilis, attendis in te, et displices tibi : jam ex eo coepisti similis fieri, quia hoc tibi displicet quod displicet et Deo.

IV. Sed quomodo sum similis, inquis, quando adhuc mihi displiceo? Ideo dictum est, « Incipite. » Incipe Domino in confessione : perficeris in pace. Adhuc enim habes adversum te bellum. Indicitur tibi bellum, non solum adversus suggestiones diaboli, adversus principem potestatis aëris hujus, qui operatur in filiis diffidentiae, adversus diabolum et angelos ejus, spiritalia nequitiae²; non solum ergo adversus ipsos tibi bellum indicitur, sed adversus te ipsum. Quomodo adversus te ipsum? Adversus tuam consuetudinem malam, adversus vetustatem vitae tuae malae, quae trahit te ad solitam, et refrenat a nova. Indicitur enim tibi quaedam nova vita, et tu vetus es. Novitatis gaudio suspenderis, vetustatis onere praegravaris :

¹ Psal. cxlvi, 7. — ² Ehes. vi, 12.

incipit tibi esse bellum adversus te. Sed ex qua parte tibi displices, jungeris Deo; et ex qua parte jam jungeris Deo, idoneus eris ad vincendum te, quia ille tecum est qui omnia superat. Attende quid dicit Apostolus : « Mente servio » legi Dei, carne autem legi peccati¹. » Unde mente? Quia displicet tibi vita tua mala. Unde carne? Quia non desunt suggestiones et delectationes malae, sed ex eo quod mente jungeris Deo, vincis quod in te non vult sequi. Praecessisti enim ex parte, et ex parte tardaris. Trahe te ipsum ad illum, qui te sursum tollit. Pondere quodam vetustatis deprimeris, clama et dic : « Infelix ego homo, quis me » liberabit de corpore mortis hujus? » quis me liberabit ad eo quo gravor? « Corpus enim quod corrumpitur, » aggravat animam². » Quis ergo liberabit? « Gratia Dei » per Jesum Christum Dominum nostrum³. » Quare autem permittit, ut diu contra te litiges, donec absorbeantur omnes cupiditates malae? Ut intelligas in te poenam tuam. In te ex teipso est flagellum tuum : sit rixa tua tecum. Sic vindicatur in rebellem adversus Deum, ut ipse sibi sit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo. Sed tene membra tua adversus concupiscentias tuas malas. Surrexit ira, tene tu manum conjunctus Deo. Potuit surgere, sed non invenit arma. Apud iram tuam impetus est, apud te arma sunt : sit impetus inermis, et discit jam non surgere qui frustra surrexit.

V. Hoc autem dico, charissimi, ne forte quia diximus, « Carne autem legi peccati, » putetis consentiendum esse desideriis vestris carnalibus. Etsi non possunt modo nisi esse desideria carnalia, non est illis consentiendum. Propterea non dixit Apostolus : Non sit peccatum in vestro mortali corpore. Novit enim quia quandiu mortale est, est ibi peccatum. Sed quid ait? « Non ergo regnet pecca-

¹ Rom. vii, 25. — ² Sap. ix, 15. — ³ Rom. vii, 25.

» tum in vestro mortali corpore. » Quid est, « Non reg-
 » net? » Ipse exposuit : « Ad obediendum, inquit, desi-
 » deriis ejus¹. » Sunt desideria, existunt desideria ; non
 tu obaudis desideriiis tuis, non sequeris ipsa desideria, non
 illis consentis : est tibi peccatum, sed amisit regnum,
 quando jam in te non regnat peccatum, « Postea inimica
 » novissima destruetur mors². » Quid enim nobis pro-
 mittitur, quoniam dictum est : Mente servio legi Dei,
 carne autem legi peccati³? Audi promissionem, quia non
 semper erunt in carne desideria illicita. Etenim resurget,
 et mutabitur; et cum mutata fuerit caro ista mortalis in
 spiritale corpus, jam nullis concupiscentiis sæcularibus,
 jam nullis terrenis delectationibus titillabit animam, nec
 avertet a contemplatione Dei. Fit ergo in eo quod dicit
 Apostolus : « Corpus quidem mortuum est, propter pec-
 » catum : spiritus autem vita est propter justitiam. Si
 » autem qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis;
 » qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et
 » mortalia corpora vestra, propter Spiritum suam qui
 » habitat in vobis⁴. » Vivificatis ergo corporibus nostris,
 erit pax vera, ubi locus est Dei : sed præcedat confessio.
 « Notus in Judæa Deus : » Confitere ergo prius. « In
 » Israël magnum nomen ejus : » nondum vides in spe-
 cie, vide ex fide; et fiet in te quod sequitur : « Et factus
 » est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion. » Sion
 interpretatur Contemplatio. Quid est contemplatio?
 Contemplabimur enim Deum facie ad faciem⁵. Hic nobis
 promittitur, in quem modo non videntes credimus. Quo-
 modo gaudebimus cum viderimus eum? Fratres, si modo
 tantum gaudium in nobis facit promissio, quantum est
 factura redditio? Reddetur enim nobis quod promisit. Et

¹ Rom. vi, 12. — ² I Cor. xv, 26. — ³ Rom. vii, 15. — ⁴ Id. viii,
 10, 11. — ⁵ I Cor. xiii, 12.

quid promisit? Se ipsum, ut in facie ipsius et illius con-
 templatione gaudeamus : et non aliquid aliud delectabit
 nos, quia nihil est melius illo qui fecit omnia quæ delect-
 tant. « Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in
 » Sion : » id est, in contemplatione quadam et specula-
 tione facta est habitatio ejus, « In Sion. »

VI. « Ibi confregit fortitudines arcuum, et scutum, et
 » gladium, et bellum¹. » Ubi confregit? In illa pace
 æterna, in illa pace perfecta. Et modo, fratres mei, qui
 bene crediderunt, vident quia non de se debent præsu-
 mere; et omnem potentiam minarum suarum, et quid-
 quid in eis acutum est ad nocendum, confringunt illud;
 et quidquid quasi pro magno habent unde se protegerent
 temporaliter, et bellum quod adversus Deum defendendo
 peccata sua gerebant, omnia hæc ibi confregit.

VII. « Illuminans tu admirabiliter a montibus æter-
 » nis². » Qui sunt montes æterni? Quos ipse fecit æter-
 nos; qui sunt montes magni, prædicatores veritatis. Tu
 illuminas, sed a montibus æternis : primi magni montes
 excipiunt lucem tuam, et a luce tua quam suscipiunt
 montes, vestitur et terra. Sed illi magni montes excepe-
 runt Apostoli, tanquam orientis luminis primordia excepe-
 runt Apostoli. Numquid quod exceperunt, apud se
 retinuerunt? Non. Ne diceretur illis : « Serve nequam et
 » piger, dares pecuniam meam nummulariis³. » Si ergo
 quod susceperunt, non apud se retinuerunt, sed omni
 orbi terrarum prædicaverunt. « Illuminans tu admirabi-
 » liter a montibus æternis. » Quos æternos fecisti, per
 illos vitam æternam et cæteris promisisti. « Illuminans tu
 » admirabiliter a montibus æternis. » Magnifice cum pon-
 dere dictum est, « Tu : » ne putet aliquis quod eum

¹ Psal. lxxv, 4. — ² Ibid. 5. — ³ Matth. xxv, 26, 27.

montes illuminent. Multi enim putantes quod ab ipsis montibus illuminarentur, fecerunt sibi partes de montibus; et ipsos montes conciderunt, et ipsi confracti sunt. Nescio qui sibi fecerunt Donatum, nescio qui sibi fecerunt Maximianum, nescio qui sibi fecerunt illum et illum. Quare computant salutem suam in hominibus esse, non in Deo? O homo, venit ad te lux per montes: sed Deus te illuminat, non montes. « Illuminans tu, » inquit: tu, non montes. « Tu illuminans: a montibus quidem æternis; » sed, « Tu illuminans. » Unde et in alio loco quid ait Psalmus? « Levavi oculos meos in montes, unde veniet » auxilium mihi. » Quid ergo, in montibus est spes tua, et inde tibi veniet auxilium? Remansisti in montibus? Vide quid agas. Est aliquid super montes: super montes est quem tremunt montes. « Levavi, inquit, oculos meos » in montes, unde veniet auxilium mihi. » Sed quid sequitur? « Auxilium meum, inquit, a Domino, qui fecit » coelum et terram¹. » In montes quidem levavi oculos, quia per montes mihi sunt Scripturæ monstratæ: sed ego cor habeo in illo qui illuminat omnes montes.

VIII. Ergo, fratres, ad hoc dictum est, ne quisquam vestrum velit spem suam ponere in homine. Tandiu est aliquid homo, quandiu illi hæret a quo factus est homo. Nam recedens ab illo, nihil est homo, et cum hæret illis. Tu sic accipe consilium per hominem, ut illum consideres qui illuminat hominem. Etenim et tu potes accedere ad illum, qui tibi per hominem loquitur; non enim fecit illum accedere ad se, et te repellit. Et qui vere sic accessit ad Deum, ut in illo habitet Deus, displicent illi omnes, qui non in illo ponunt spem suam. Propterea datum est quoddam exemplum, cum ipsos Apostolos sibi diviserunt, et in schismata ierunt qui dicebant: « Ego sum Pauli, ego

¹ Psal. cxx, 1, 2.

» Apollo, ego Cephæ, » id est, Petri. Hos plangit Apostolus, et dicit eis: « Divisus est Christus? » Et se elegit quem apud ipsos contemneret. « Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis¹? » Vide bonum montem quærentem gloriam, non sibi, sed a quo montes illuminantur. Nolebat de se præsumi, sed de illo de quo et ipse præsumperat. Quisquis ergo ita se commendare voluerit populis, ut si forte contigerit ei aliquis tumultus, frangat post se populos, et dividat Ecclesiam catholicam propter se, non est de illis montibus quos illuminat Altissimus. Sed quis est iste? Contenebratus a se, non illuminatus a Domino. Unde autem probantur isti montes? Si forte contigerit aliquis tumultus adversus montes in Ecclesia, aut per populares seditiones carnalium, aut per aliquas falsas suspiciones hominum, bonus mons repellit a se omnes qui propter ipsum volunt ab unitate recedere. Sic enim ipse manebit in unitate, si propter ipsum non divisa fuerit ipsa unitas. Illi autem divisi sunt: quando recessit populus ab orbe terrarum, et secutus est nomen ipsorum, gavisus sunt; elati sunt, et dejecti sunt. Humiliarentur, et exaltarentur: quomodo humiliatus est Apostolus, dicens: « Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? » Et alio loco, « Ego plantavi, » Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Ergo neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus². » Tales montes in se humiles sunt, in Deo excelsi sunt. Qui autem in se ipsis excelsi sunt, a Deo humiliantur. « Quoniam qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur³. » Ideo tales qui superbias suas attendunt, inamaricant hominibus pacificis in Ecclesia. Illi volunt coagulare pacem, isti inter se miscent dissensionem. Et quid de illis dicit alius

¹ 1 Cor. i, 12, 13. — ² Id. iii, 6, 7. — ³ Luc. xiv, 11.

Psalmus? « Qui amaricant, non exalcentur in semetipsis¹.
« Illuminans tu, » Attende hic, « Tu admirabiliter a
» montibus æternis. »

IX. « Conturbati sunt omnes insipientes corde². » Prædicata est veritas, dicta est æterna vita; dicta est esse alia vita, quæ non est de ista terra: contempserunt homines vitam præsentem, et amaverunt vitam futuram, illuminati per montes illuminatos. « Insipientes autem corde » conturbati sunt. » Quomodo « Conturbati sunt? » Cum Evangelium prædicatur. Et quid est vita æterna? et quis est qui resurrexit a mortuis? Admirati sunt Athenienses, loquente Paulo apostolo de resurrectione mortuorum, et putaverunt eum nescio quas fabulas dicere³. Sed quia dicebat esse aliam vitam: « Quam nec oculus vidit, nec » auris audivit, nec in cor hominis ascendit⁴. « Ergo, » « Insipientes corde turbati sunt. » Sed quid eis contigit? « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes » viri divitiarum in manibus suis. » Amaverunt præsentia, et dormierunt in ipsis præsentibus; et sic illis facta sunt ipsa præsentia deliciosa: quomodo qui videt per somnium invenisse se thesauros, tandiu dives est, quandiu non evigilet. Somnium illum divitem fecit, evigilatio pauperem facit. Tenuit illum somnus fortasse in terra dormientem, et in duro jacentem, pauperem et forte mendicum; in somnis vidit se jacere in lecto eburneo vel aureo; et in plumis altius extractis: quandiu dormit, bene dormit; evigilans invenit se in duro, in quo illum somnus tenuerat. Tales sunt et isti: venerunt in hanc vitam, et per cupiditates temporales quasi obdormierunt hic; et exceperunt illos divitiæ et vanæ pompæ volaticæ, et transierunt: non intellexerunt quantum inde boni pos-

¹ Psal. LXXV, 7. — ² Id. LXXV, 6. — ³ Act. XVII, 18 et 32. — ⁴ I Cor. II, 9.

set fieri. Nam si nossent aliam vitam, illic sibi thesaurizarent, quod hic erat periturum: sicut Zacchæus vidit illud bonum major publicanorum, quando suscepit Dominum Jesum hospitio, et ait: « Dimidium rerum mearum do pauperibus, et si cui aliquid fraudavi, quadruplum reddo¹. » Non erat iste in vanitate somniantium, sed in fide vigilantium. Ideo Dominus quia medicus intraverat ad ægrotum, pronuntiavit ipsius salutem, et ait: « Hodie salus domui huic facta est, quoniam et hic est » filius Abrahæ². » Ut noveritis quia nos imitando fidem, filii Abrahæ sumus: Judæi autem qui de carne superbiunt, a fide degeneraverunt. Ergo, « Dormierunt somnum suum viri divitiarum, et nihil invenerunt in manibus suis. » Dormierunt in cupiditatibus suis; delectat illos, transit somnus iste, transit vita ista, et nihil inveniunt in manibus suis, quia nihil posuerunt in manu Christi. Vis aliquid invenire in manibus tuis postea? Noli contemnere modo manum pauperis; et respice manus inanes, si vis habere manus plenas. Dixit enim Dominus: « Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis » mihi potum; hospes fui, et adduxistis me, » et cætera. Et illi: « Quando te vidimus esurientem, sitientem, aut » hospitem? » Et ille dicit illis: « Quando uni ex minimis » meis fecistis, mihi fecistis³. » Esurire in pauperibus voluit, qui dives in cælo est; et tu dubitas, homo, dare homini, cum scias te Christo dare quod das, a quo accepisti quidquid das? Sed illi, « Dormierunt somnum suum, » et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. »

X. « Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt » omnes qui ascenderunt equos⁴. » Qui sunt, qui ascenderunt equos? Qui humiles esse noluerunt. Non in equis

¹ Luc. XIX, 8. — ² Ibid. 9. — ³ Matth. XXV, 35-40. — ⁴ Psal. LXXV, 7.